



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VI. Velis esse quod es.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

VI.
*Velis esse,
 quod es.*

Quare ubicumque tandem te posuerit, qualemcumque te fecerit, quo te cunq̄ue officio donarit, esto contentus. Si enim contentus non es, jam tibi satis non est, quod Deo satis est, qui tamen omnia ad gloriam suam refert, cum propter se necessariò laboret. Potuit tibi Deus ingenium dare per omnes scientias agile, quale D. Augustino: sacrarum literarum intelligentiam, qualem D. Hieronymo: claritatem Angelicam, qualem D. Thomæ Aquinatis: melleam & lacteam suavitatem, qualem Divis. Ambrosio & Bernardo: linguam eruditam, ut posses solari eos qui contracti sunt corde, qualem D. Chrysostomo. Non dedit tibi, quia dare noluit, & noluit intuitu gloriæ suæ majoris, quàm in rebus singulis spectat: velis & tu istud, & voles majorem Dei gloriam. Potuerat tibi eximium zelum animarum inspirasse: ut maria enavigares, solitudines emetireris, salutem humanam procurandam; & illuc piscator hominum fieres, hinc venator, Apostolorum, Apostolicorumque

que hominum exemplo. Potuerat illustres generosa nobilitate parentes destinasse: ut in excelso loco virtutes tuæ illustrius emicarent. Potuerat mentem scientiis civilibus implēsse, sagacitate acuisse, iudicio firmāsse, moribus perpolisse: ut intelligentia esses urbium ac provinciarum, & Reges ac regna regeres. Potuerat opes in sinum tuum congeffisse, quantas largissima caritas in egenos nunquam exhauriret. Potuerat tibi corpus efformasse laborum, vigiliarum, jejuniorum, dolorum tam patiens: ut Eliæ, Antonio, Hilarioni, Romualdo par, infligendis tibi ultrò suppliciis, incederes. Noluit istorum quidquam: rudem te fecit, & ignobilem, & pauperem, & infirmum: fecit, quia voluit: voluit, quia ad gloriam suam conducebat, neque enim aliter velle potest. Velis igitur esse quod es, & quod Deus vult, eaque ratione voles ejus gloriam: sin minus, tantum ab ejus gloria aberras, quantum ab ejus voluntate, etsi tibi de fine bono blandiaris. Eliciet quidem Dei sapientia ex ipsis erroribus

roribus

roribus tuis gloriæ suæ fructum, sed tu illum non produxeris: pro ducturus tamen, si is esse maluisses, quem te destinârat, quàm quem te fingebas.

VII. *Ita Beati agunt.* Inter Beatos Angelos & homines magna est, quemadmodum meritorum, ita & graduum ac beatitudinis inæqualitas. Summus Seraphinorum longè perfectiùs Deum cognoscit & amat, adeoque & perfectiùs laudat, quàm ejusdem ordinis medius: & hic perfectiùs infimo, ac sic deinceps. In hac varietate non tantùm nulla est invidia, quia unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium: sed neque ullum est desiderium, alio gradu aut ratione Deum glorificandi, quàm singuli locis suis faciant. Incidat fortè hæc cogitatio: nonne si in altiori sim beatitudinis dignitate, in clariori lumine, plus Deum laudem, quàm nunc? Illicò sibimet responderit Beatus: Deus hîc me esse voluit: vult autem Deus gloriam suam: ergo ex ejus gloria est, sic me esse. Eâdem cogitatione Beatus non modò nollet esse major, sed neque